



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad
Dominicam Septuagesimæ

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Sicut non sunt amanda vitia propter amicos homines: sic non sunt odio
habendi homines propter eorum vitia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44194

in ore meo. DICANT semper, magnificetur Dominus, SEMPER, magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam sive per mortem. Non putabant illi videlicet se posse unquam, nisi semper magnificarent: tu vero secus credes? Tu in proficis quidem, sed in adversis non æque Deum laudabis! Deplora hanc impietatem, & ut deinceps caveas, discite quod ait sanctus Augustinus. Breve magisterium, ut semper laudes Deum, veroque corde non falso dicas. Benedicam Dominum in omni tempore. Breve mysterium est scilicet, ut non veris cum misericorditer dare, cum dat; misericorditer auferre, cum tollit: nec te credas à Misericordia derelinqui, qua tibi aut blanditur dan-

in Ps 144

do, ne deficias, aut te corripit exultantem, ne peccas. Sive ergo in ejus donis, sive in flagellis laudam eum; laus flagellantis, medicina est vulneris.

Sic quondam Rex ille potentissimus qui aiebat: Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico & glorifico regem Cœli: quia omnia opera ejus vera, & via ejus judicia, & gradientes in superbia potest humiliare: Quasi diceret, æque in adversis ac prosperis magnificandus est, quia æque in istis magnus est & omni dignus magnificentia. Sic Darius ejus successor decreto propterea facto, ut in universo imperio & regno, tremiscant & paveant Deum Danielis. Ipse est enim Deus unicus, & æternus in sæcula.

Ibid. 6.

DOMINICA QUINTA
POST EPIPHANIAM,
NISI SIT SEPTUAGESIMA.

DE ZIZANIIS IN MEDIO TRITICI
SEMINATIS, QUÆ CHRISTUS IPSE DO-
MINUS DECLARAVIT ESSE MALOS
HIC VIVENTES INTER
BONOS.

*Dum dormirent homines, venit Inimicus, & superseminavit zizania,
in medio tritici. Matth. 13.*

VERITAS PRACTICA.

Sicut non sunt amanda vitia, propter amicos homines: sic non sunt odio habendi homines, propter eorum vitia.

RATIO EST, Quia idcirco non sunt amanda vitia propter amicos homines, ne affectum nostrum preferamus Deo, qui vetat vitia.

Sed si odio habemus homines propter eorum vitia, sic affectum nostrum preferemus Deo, qui vetat illud odium.

Ergo nec sunt amanda vitia propter amicos homines, nec sunt ulli odio habendi homines, propter eorum vitia. Quod tamen in praxi est rarum.

I. PUNCTUM.

SIMILE factum est Regnum cœlorum hominibus, qui seminavit bonum semen in agro

suo. Vide quod reliquum est parabolæ, & quam Christus ipse Dominus explanationem affert, eodem Capite, ubi hæc inter alia; Bonum semen hi sunt filii regni, zizania autem filii sunt nequam. Hinc porò est cruta Veritas multum practica. Ut neque sint amanda vitia propter homines vitiosos quos diligimus, neque sint odio habendi homines propter eorum vitia, que detestamur. Hoc enim sæpe accidit bonis, qui inter malos versantur, ut vel hos oderint, si non amant eorum vitia: vel si hos amant, non fugiant eorum vitia, sed foveant, & quodammodo comant acament: Quod utrumque valde damnosum est, & ex æquo cavendum propter eandem omnino rationem.

Nam quid est quod non sint amanda vitia propter amicos homines? Hoc primò est expendendum, quod sit facilius intellectu, unde aliud patebit apertius. Quid autem illud est, nisi quod aperte venentur à Deo vitia, que si amarem propter homines quos amamus, tunc

tunc ipsos homines affectumque nostrum manifeste præferremus Deo, quod planè nefas est, & ipso quod amemus vitio vitiosus est aliquid, propter contemptum Dei tanto hic expressius creaturæ posthabiti, quanto expressius propter creaturam offenderetur. *Magis honorasti filios tuos quam me!* ò gravissima quæ à Deo fieri potest expositulatio!

I. Reg. 2.

Matth. 5.
& 18.

II. 46.

Hic erat oculus cruciendus, hæc abscondenda manus, & pes truncandus, ne scandalo nobis essent, ut aptè ad rem nostram interpretatur S. Hieronymus. *S. quis, inquit, ita est tibi conjunctus, ut manus pes, oculus, & est utilis atque sollicitus: scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam: melius est, ut & propinquitate ejus & emolumentis carnalibus careas, quam dum vis lucrifacere cogitatos & necessarios, causam habens ruinarum. CVI assimilasti me, & adequasti, & comparasti me, & fecisti similem?* Expende quantis utitur verbis idem significantibus, ut rem magis exaggeret, & probium inde resiliens magister confundat & acuat.

II. PUNCTUM.

SED si odio haberemus homines propter eorum vitia, sic affectum nostrum præferremus Deo qui vetat illud odium.

Levit. 19.

Exod. 23.

Matth. 5.

Rom. 12.

*NON oderis, inquit in Levitico, fratrem tuum in corde tuo, id est quemlibet proximum, etiam adversarium & inimicum. Unde & in Exodo expressè habetur; Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, redue ad eum. Si videris asinum odientis te, jace sub onere, non pertransibis, sed sublevaris cum eo. Quamobrem quod dixit Christus in Evangelio, *audistis quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: non erat hoc dictum quasi ex lege, neque hoc ullibi scriptum est, sed falso additum à Scribis & Phariseis, qui per proximum diligendum malè intelligebant amicum, unde & inferebant, odio habendum esse inimicum, contra quos ipse Dominus: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Et Apostolus: Si fur fuerit inimicus, eiba illum. sicut potum da illi.* Ex quibus tam manifestè patet vetari odium proximi, quàm ejus vitia; cumque illud odium, cujuscunque personæ sit, non minus sit passio & affectio cordis, quàm amor proximi vitiosus, nonne hinc evidens est quod si quem oderis propter vitia, sic affectum nostrum præferremus Deo qui vetat illud odium.*

Haynensius Pars prima.

atum tuum præferas Deo, sicut si hominis amares vitia propter amicum hominem?

Sic universim dictum est à Sapiente; *Ne accipias personam, ut delinquas: Id est, ne ratione cujusquam personæ Deum offendas, sive id fiat per excessum seu defectum, sive per amorem nimium, aut per odium, nihil refert, cum nullo modo sit delinquendum propter personam aliquam.*

Atque hinc in hodierna parabola, Paterfamilias suorum correxit impetum, qui zizania volebant ex agro evellere. *Ne fortè, inquit, colligentes zizania, eradicetis simul & triticum, sinite utraque crescere usque ad messem: Quasi diceret, volo simul malos cum bonis vivere, Nam, ut ait S. Augustinus, boni, dum sunt infirmi, opus habent malorum commixtione, ut per eos exerceantur, aut eorum comparatione invitentur ad melius. Et rursum Multi primò zizania sunt, postea fiunt triticum, qui nisi patienter tolerantur dum mali sunt, non fiunt triticum. Itemque alibi fufius. Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit ut per illum bonus exerceatur: utinam ergo qui nos modò exercent, convertantur, & nobiscum exerceantur: tamen quamdiu ita sunt ut exerceant nos, non eos oderimus: quia in eo quod malus est quis eorum, utrum usque in finem perseveraturus sit, ignoramus; & plerumque cum tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, & nescis.*

Ne dicas, id tibi esse nimis grave & onerosum; Nam in tuum etiam commodum lex illa lata est. Sicut enim vetaris odisse alios, ita & alii prohibentur, ne te oderint. Quid dulcius quàm ab omnibus diligere? quid gravius quàm vel apud unum in odio esse! & hoc tibi bonum procuratur. Si neminem oderis, nemini eris odiosus; *Qua enim mensurâ mensus fueris, eadem remetietur tibi.* O nos iniquos & injustos, qui nullum nostri odium non injustum credimus, & nullum nostrum odium non justum reputamus!

III. PUNCTUM.

SICVt ergo non sunt amanda hominum vitia, propter amicos homines: sic non sunt odio habendi homines, propter eorum vitia: quia ex utroque Deus perinde offenditur, qui proximi odium non minus prohibet, quàm vitiosam ejus amicitiam.

Bb

amicitiam.

Eccles. 42

L. de 99.
Evang.

In Ps. 54.

Luc. 6.

amicitiam. *Præbe, inquit, fili mi, cor tuum mihi, & oculi tui vias meus custodiant, id est, sic omnino mihi volo à te cor præberi tuum, ut iam tuum non sit, neque illo profusus utaris ad amorem, vel odium cujuscunque alterius personæ vel creaturæ, nisi prout voluero. Itaque si tibi dixerò, Volo diligas proximum, sed non ut ejus vitia diligas; sic omnino est diligendus, nec aliter: Volo ut oderis proximi vitia, sed ita, ut proximus non sit habendus odio; sic profusus odium est exercendum, neque ultra ad personam effundendum, quia cor nostrum, non nostrum, sed Dei est, quo neque plus neque minus ad amorem vel odium uti possumus, quàm si res aliena esset, quæ invito rationabiliter Domino non est usurpanda. Tolle quod tuum est & vade. Aut non licet mihi quod volo, facere?*

Quod si audias Davidem dicentem, Iniquos odio habui; Audi & eundem se explicantem; Perfecto odio oderam illos, id est, licito, & bene composito, non odiendo personam sed vitia; sic enim licet & oportet eos odisse, imo & patrem ac matrem & quoscunque alios, qui se salutem nostram opponerent, ut est in Evangelio. Sed an tuum ita sit perfectum odium diligenter expendes; Multi enim hic decipiuntur, qui zelum putant, & bene compositum in improbos odium,

cum tamen merum sit vitium. Rectè enim Sapientis: *Abcondunt odium labia mendacia, id est, obtegunt, & pio quodam motivo prætexunt, ut nullum appareat odium vel non vitiosam; Et falluntur, mentiuntur, merum est odium: quidquid ore dicant, ita in corde est.*

Sic amor vitii in amicis non sæpe putatur vitium, quia nolles fortè idem omnino perpetrare, nolles sic jurare, sic detrahere, sic mentiri; sed quia vitioso nimis arrides, non satis eum arguis & prohibes, tibi ejus impuratur vitium, & eadem te pœna manet. *Digni sunt morte, inquit Apostolus, non solum qui ea faciunt, sed qui consentiunt facientibus; Unde & idem: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite* Hoc est amare vitium, si non odisti ut debes; nec odisti ut debes, si non arguis, quantum potes juxta illud Scripturæ: *Argue eum, ne habeas super illo peccatum.* Sic planè hoc est odisse proximum, si non amas ut debes: non amas autem ut debes, si debita Charitati negas officia. Vide quæ in particulari, & quantum in his deficias, ac suspira cum Davide; *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus eo, & emundabor à delicto maximo.* Tremenda certè verba,

Prov. 10.

Rom. 1.

Ephes. 5.

Levit. 19.

Ps. 18.

AD EADEM EVANGELII VERBA.

Cum dormirent homines, venit inimicus. Matth. 13.

Contra excusantes imprudentiam seu defectum advertentiæ.

VERITAS PRACTICA.

RATIO declaratur fufius in tertia parte, feria tertia, infra hebdomadam Octavam post Pentecosten.

Ne putes te bene semper excusatum, cum dicis:
Non putabam.

*Cum autem creviffet herba, & fructum feciffet, tunc apparuerunt
& Zizania.*

Contra eos, qui vel condemnant malos quibuscum vivunt, vel eos imitantur.

VERITAS PRACTICA.

HABETUR fufe declarata in tertia parte, Feria secunda, infra hebdomadam decimam quartam post Pentecosten.

Nec propter alios à bono te excusabis: nec quemquam alium propter te accusabis.

Acce-